



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 5. Vera sive plena conversio suos recipit gradus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

Hoc veraciter converforum est, isto modo à peccatis velle recedere: qui proindè non solùm omnem saltem mortiferi peccati voluntatem deponunt, sed & plenâ, hoc est absolutâ voluntate ejus recidivum statuunt cavere, ac per hoc media, quibus id effici opus est, & sollicitè inquirunt, & fideliter inventa assumunt. Ejusmodi non eâ quâ tres supra positos contingit facilitate relabi.

Secundus V.

*Vera sive plena conversio suos recipit gradus.*

**I**ndicat tamen commemorato loco Angelicus Doctor, plenam voluntatem suos suscipere gradus, & aliam aliâ esse pleniorum. Quod omnino verum est, & præsentis rei elucidationi præcipuè inservit. Etenim non eadem est voluntatis plenitudo incipientium & adhuc in Christo parvulorum, quæ est perfectorum. Hi enim justitiæ & bonæ voluntatis provectu, quò minùs creaturis inhærent, eò plenius amorem transferunt in creatorem, ac pravam concupiscentiam magis habent debellatam, ut peccatorum in eis desideria nunc minùs quàm in recenti conversione moveantur,

K

26

Hoc

ac per hoc non tanta quanta prius, sed mi-  
nora adversus ea exercent certamina,  
non virium defectu sed hostium. His mi-  
nus arduum est peccati recidivum cavere,  
& quemadmodum in malitia proveci  
non illico ad justitiam resurgunt, ita qui  
 2. 2. q. 24. ejusmodi est, *non subito*, ait S. Thomas,  
 art. 12. ad 1 *procedit in actum mortalis, sed ad hoc disponitur  
per aliquam negligentiam præcedentem*, ut ipsis  
 Hom. 82. præcipuè conveniat illud Chrysoctomi:  
 in Matth. *Non subito neque sub uno momento, sed sensim  
diligenter factopericulo hominem (Diabolus)  
ingreditur.*

Incipientes verò & post pravam pec-  
candi consuetudinem recenter conversi,  
tametsi omnibus quæ diligunt, Deum  
ejusque justitiam præponant (quod eis  
ad veram conversionem omnino est ne-  
cessarium) tamen habent & alia quibus  
adhuc immodicè afficiuntur. Novâ qui-  
dem divinitus conceptâ voluntate vete-  
rem peccandi cupiditatem expulerunt,  
sed (ut supra monebat S. Prosper) non  
sic hæc pulsa est, quin adhuc aliquâ sui  
contagione remoretur, ut nondum om-  
nino ac plenè ab ejus sint propensione  
expediti. Primas quidem in eis partes si-  
bi vindicat Dei amor, illa tamen veteris  
peccati contagio vel in minoribus, hoc  
est,

est, in quibus non lethaliter delinquitur, sibi animam facit deservire. Propter quod merito dicebat S. Isidorus, *Lib. 2. sent. cap. 8.* *Omnia nova conversio adhuc pristinae vitae habet commixtionem.* Et appositè ante ipsum Gregorius: *Unusquisquè, qui Deum sequitur, ait, in ipso suo exordio ut locusta suscitatur: quia etsi in quibusdam actionibus locustarum more flexis poplitibus terra inhaeret: in quibusdam tamen expansis alis sese in aëra suspendit.* Conversionum quippè initia, bonis moribus malisque permixta sunt, dum & nova jam per intentionem agitur, & vetus adhuc ex usu retinetur. Tantò autem minùs permixtis interim malis laedimur, quantò contra illa quotidie sine cessatione pugnamus. Nec suos nos jam culpa vendicat, cuius pravo usui nostra sollicita mens resultat.

§. VI.

*Conversorum infimi gradus sunt in majori relabendi periculo.*

**E** Apropter bona horum voluntas quæ Deo obedire statuunt, minus plena est, minusquè perfecta quàm priorum. Tantum enim ejus plenitudini detrahitur, quantum adhuc malæ cupiditati conceditur. Hinc autem lubricus horum status est ac facilior ad priora recursus: